



**Paraenesis De Eleemosyna**

**Alardus <Aemstelredamus>**

**[Köln], 1545**

**VD16 A 1250**

Quærendos esse pauperes quibus misereamur, & non tantisper  
operiendos, du[m] nobis abiecte supplices fiant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

## DE E L E E M O S Y N A.

quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit. Vbicunque & ipse cum talibus dedit, quis nisi Christus accepit?

*Quærendos esse pauperes quibus misereamur, & non tantisper operiendos, dum nobis abiecte supplices fiant.*

**A**ugustinus in Psalmum 103. Beatus qui intel ligit super ægenum & pauperem. Quære cui des. Beatus enim qui intelligit super ægenum & pauperem, qui præoccupat uocem perituri. Si sic inter uos indigent milites Christi, ut etiam petant, uidete ne uos iudicet antequam petant. Quomodo inquis quæro? Esto curiosus, esto prouidus, prospice, attende unde quisque uiuat, unde se transfigat, unde libeat: non reprehendetur ista curiositas tua, terra eris producens sœnum iumentis, & herbam seruitu hominum. Curiosus esto, & intellige super ægenum & pauperem. Alius ad te uenit, ut petat, alium tu præueni ne petat. Sicut enim de illo qui te quærit dictum est, Omnia petenti te da: sic de illo quem iuberis quærere dictum est, Sudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum cui cam tradas. Cum enim dandum sit, & istis pauperibus pentibus patet. Non enim ab eis inhibuit deus eleemosynas, cum Christus de ipsis dicat: Quando facis epulum, conuoca cæcos, claudos, debiles, non habentes unde tibi reddant, retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum, uoca & ipsos, pasce & ipsos, epulare cum illi epulanur, delectare cum illi saginantur: illi enim pane tuo, tu iustitia dei. Nemo uobis dicat, Præceptum est à Christo, ut seruo dei

D v

## DE ELEEMOSYNA.

detur, mendico nō detur. Absit prorsus, impius ista loquitur, da illi, sed multo magis illi. Ille enim petet, & in uoce potenter agnosce cui des. Ille autem quanto minus petet, tanto magis tibi uigilandum est, ut præoccupes petitum, aut forte modo non petitum, & aliquando donaturum uel damnaturum. Itaque curiosi estore ad ista fratres mei, & inuenietis multorum dei seruorum indigentiam, tantum ut uultis inuenire. Sed quia delectat uos excusatio, qua uultis dicere: nesciebam, propterea non inuenitis, ipse dominus loculos habebat, quo mittebatur necessaria, & possidebantur nummi, propter usus eorum qui cum illo erant, & ciuius non enim cum dicitur: Esuriuit Iesus, Euangelista mentitur. Voluit esurire propter te, ne tu esurias in illo, quia pauper factus est cum diues esset, ut illius paupertate nos ditaremur. Habuit enim loculos, & dictum est de quibusdam fœminis religiosis, quod ambulabant, qua ibant pedes eius euangelizebant, & ministrabant ei de substantia sua. Nominantur illæ mulieres in euangelio, ubi erat quædam etiam uxor cuiusdam Chuzæ procuratoris Herodis. Augustinus in Psalmum 103. Cum ergo quisquis sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstat. Nunquid in illa fame non pascebatur Helias? Non coruus afferebat panes & carnes seruo dei, seruente creatura? Missus est tamen pascendus ad uiduam, nō ut militi, sed ut prouinciali aliquid præstatetur. Ergo quia dicebamus fratres & de pascēdis pauperibus, cum dominus loculos haberet, tamen quando dixit Iudeus cum tradituro, Quod facis fac

## DE E L E E M O S Y N A.

uelociter, non intelligentes cæteri quid dixisset, arbitrati sunt eum dixisse, ut aliquid præpararet, qd daretur pauperibus. Ille enim loculos habebat, hoc in euangelio scripum est. Poscent de hoc suspicari, nisi hoc haberet in consuetudine dominus. De his ergo quæ dabantur, & in loculos mittebantur, dabatur tamen & illis pauperibus, quos deus docuit nō contemnendos. Sed si illum non contemnis, quanto magis bouem per quem tritatur hæc area. Quanto magis seruum tuum! Non indiget cil o, seruus vestis indiget. Non indiget veste, forte tecto indiget; forte ecclesiam fabricat, forte aliquid utile in domo dei molitur, expectat ut attēdas, expectat ut intelligas super egenum & pauperem. Tu contra terra dura, lapidea, non irrigata, aut frustra irrigata, seruasti tibi dicere: Non sciebam, non noueram, nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit: Christus non cessat dicere, Prophetæ non cessant dicere: Beatus qui intellegit super egenum & pauperem.

*Vel ultro nos non adeuntibus succurrendum  
egenis.*

**C**hrysostomus sermone 21. in cap. ii epistolæ ad Ronanos Hospitalitatem sectantes. Non dicit facientes, sed sectantes, instruens nos, ut non expectemus egenos, donec ad nos ueniāt, sed ad ipsos curramus & seciemur. Sic Loth fecit, sic Abraham, totum nanque diem in hoc consumebat, bonam expectans uenationem, & si quando quamquam uidebat, insiliebat, occurrebat, ad terram supplicando procedebat, dicens: